Ol. CVIII. 2. archonte Themistocle Demosthenes senatoriam dignitatem sortitur. Aesch. l. c. Athenienses de pace cum Philippo ineunda denuo deliberant tempore τῶν σπονδῶν μυστηριωτίδων, mense igitur circiter Boedromione, quo acta esse Eleusinia seu magna mysteria constat. Aesch. π. παραπρ. p. 45 extr. Alterum Philocratis decretum vincit de creandis legatis decem invitaturis Philippum, ut, si transigere cum Atheniensibus velit, legatos Athenas mittat de pace acturos. Aesch. in Ctes. p. 62 extr. Legati sunt: Ctesiphon, Aristodemus, Iatrocles, Cimon, Nausicles, Dercylus, Phryno, Philocrates, Aeschines, Demosthe-

nes. Vid. Argment. 2. ad Dem. or. π. παραπρ. Iidem passim omnes fere memorantur ab Aeschine π. παραπρ. p. 30 m. et 34 m. Hi abeunt mense circiter Gamelione: revertuntur Elaphebolione ineunte, cuius die VIII concio fit auctore Demosthene, ut, quum primum Philippi legati advenerint, sine mora cum eis transigatur. Aesch. in Ctes. 63 in. Adveniunt Philippi legati ad Dionysia Magna. Aesch. in Ctes. p. 64 m. Dem. de cor. p. 234. Quibus celebratis, praesidente inde ab Elaphebolionis die XI aut XII tribu Pandionide, cui accensus erat Demosthenes (v. supra p. 96 sq.), eiusdem mensis diebus XVIII et XIX continuo de pace et foedere cum legatis regiis agitur. Priori die oratores de pace verba faciunt, posteriori demum ad suffragia itur (v. supra p. 97.), eodemque pax decernitur (Dem. π. παραπρ. p. 359. Aesch. π. παραπρ. p. 36 in. Ctes. 64.) simul cum foedere (v. supra p. 78) et iure iurando confirmatur. Posteriori hoc fortasse die legati etiam creantur pacis ius iurandum a Philippo exacturi. Creati enim secundum Aeschinem erant iam ante Elaphebolionis XXIII (ἑβδόμην φθίνοντος), quo die, comitiis ante habitis, Atheniensium socii Philippi legatis ius iurandum dederunt. Aesch. π. παραπρ. p. 39 in. Cf. supra p. 100 sq. ibique not. et not. sup. Sed commorantur Athenis usque ad Munychionem III, quo die Demosthenes senatus consultum perfert de maturanda legatorum profectione. Cf. supra p. 90.

Hoc senatus consultum certe id est, de quo Demosthenes in or. de cor. p. 233. ἐγὼ μὲν τοίνυν, ait, ἔγραψα βουλεύων ἀποπλεῖν τὴν ταχίστην τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν ὄντα τὸν Φίλιππον πυνθάνωνται, καὶ τοὺς ὅρκους ἀπολαμβάνειν, et de quo tum ad scribam: λέγε τοίνυν μοι τὸ ψήφισμα τουτὶ λαβών (p. 235.). Sed quod tum in or. de cor. sequitur decretum et quod ad res attinet et quod ad tempora ab illo prorsus abhorret. Illud enim senatus consultum fuit; decretum insiticium populiscitum est: δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ illud latum est Munychione III, hoc ultimo Hecatombaeone; hoc decretum est de legatis creandis: δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ πρέσβεις ἑλέσθαι, ex eoque legati in ea ipsa concione creati sunt: πρέσβεις ᾑρέθησαν: illud latum erat de maturanda legatorum profectione, qui creati iam mense praecedenti erant; illud legatos iubebat ἀπιέναι

τὴν ταχίστην, τὸν δὲ στρατηγὸν Πρόξενον κομίζειν αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πυνθάνηται (Dem. π. παραπρ. p. 389. cf. supra p. 90 sq.). Eaque scripsisse se Demosthenes ait (l. c.) ὥςπερ νῦν λέγω, τοῖς ῥήμασιν οὕτως ἄντικρυς· atque simillime in or. de cor. p. 233. ἔγραψα βουλεύων ἀποπλεῖν τὴν ταχίστην τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν ὄντα τὸν Φίλιππον πυνθάνωνται: hoc decretum legatos iubet ἀποδημεῖν μηδεμίαν ὑπερβολὴν ποιουμένους, ὅπου ἂν ὄντα τὸν Φιλ. πυνθάνωνται: praeterea in hoc nihil de Proxeno. Porro Ol. CVIII. 2. pax decreta erat in secunda concione prytaniae tribus Pandionidis, quippe die demum XIX, nondum XVIII (v. supra p. 97); hic decreta pax dicitur ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ. Illi paci coniunctum etiam foedus erat (v. supra p. 78); in decreto insiticio nonnisi pax commemoratur; legatis porro, quos Ol. CVIII. 2. Munych. III. citissime abire Senatus consultum illud iubebat, ius iurandum solum a Philippo exigendum erat, quippe quod confirmata iam ab Atheniensibus iure iurando pax esset Elaphebol. XIX. (v. sup. p. 99); decretum insiticium non exigere solum ius iurandum legatos iubet, sed etiam dare: τοὺς ὅρκους λαβεῖν τε παρ' αὐτοῦ καὶ δοῦναι. Et creati tum iuris iurandi exigendi causa legati decem erant (v. s. p. 86); ex nostro decreto quinque creantur: πρέσβεις ἑλέσθαι ἐκ πάντων Ἀθηναίων ἤδη πέντε. Illius porro legationis dux Aeschines fuit: τῆς πρεσβείας ὧν ἡγεμὼν ἐγώ, Aesch. π. παραπρ. p. 40. in.; huius dux Eubulus est. Idem Eubulus Anaphlystius ne intererat quidem illi ad Philippum legationi (v. s. p. 95. sq.), contra illa legatione functi sunt praeter Aeschinem Demosthenes, Philocrates, Phryno, Iatrocles, Dercylus, qui etiam priorem obierant (v. s. p. 87); nusquam in altera commemorantur Eubulus, Cephisophon, Democrates, Cleon. Neque hi omnino commemorari possunt, quippe quod alteram hanc ad Philippum legationem iidem obierint, qui etiam priorem: Aesch. π. παραπρ. p. 41. in.: πρῶτον μὲν γὰρ δέκα πρέσβεων ὄντων, ἐνδεκάτου δὲ τοῦ συμπεμφθέντος ἡμῖν ἀπὸ τῶν συμμάχων, οὐδεὶς αὐτῷ [τῷ Δημοσθένει] συσσιτεῖν, ὅτ' ἐξήειμεν ἐπὶ τὴν ὑστέραν πρεσβείαν, ἤθελεν, οὐδὲ ἐν ταῖς ὁδοῖς, ὅπου δυνατὸν ἦν, εἰς ταὐτὸν πανδοκεῖον καταλύειν, ὁρῶντες αὐτὸν ἐν τῇ προτέρᾳ πρεσβείᾳ πᾶσιν αὐτοῖς ἐπιβεβουλευκότα.

Pergimus continuo ad decretum sequens (p. 238.) de excubiis fugaque ex agris capessenda. Itaque legati ius iurandum pacis a Philippo exacturi Munychione III Athenis abeunt; revertuntur Scirophorione XIII, eiusdemque mensis XVI ad populum legationis eventum renuntiant. Vide supra p. 101 et 105. In eadem concione, quum nuntiato iam Philippi ad Thermopylas adventu decretum sit, ut Phocenses templum Delphicum Amphictyonibus restituant, continuo eorum, qui modo de legatione reversi sunt, plerisque nova ad Philippum legatio demandatur. Sed Demosthenes legationem eiurat; Aeschines valetudine simulata sui loco fratrem substituit. Vide supra p. 105. et 108. Cum hoc ceteri, qui creati sunt, per Euboeam ad Thermopylas tendunt; interim vero Phalaecus Scirophor. XXIII cum Philippo paciscitur, ut sibi immuni abire liceat, ille Thermopylas et Phocidem occupet; quae de re Atheniensium legati Chalcide certiores facti, interrupto repente itinere, Athenas repetunt, eorumque Dercylus Scirophorione XXVII congregatis in Piraeeo Atheniensibus actum iam de Phocensibus esse nuntiat. Qua de re audita perterriti Athenienses continuo, hoc est eo ipso die aut certe proxime insequenti, Callisthene auctore decernunt: *καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατακομίζειν καὶ τὰ φρούρια ἐπισκευάζειν καὶ τὸν Πειραιᾶ τειχίζειν καὶ τὰ Ἡράκλεια ἐν ἄστει θύειν.* Dem. π. παραπρ. p. 368. coll. 379. Vide supra p. 106 sq. 109 sq. Eo ipso tempore Philippus Phocidem ingressus urbes, quae resistere ausae sunt, vi cepit et evertit, in reliquis, quae sponte deditionem fecerant, praesidia constituit. Vide supra p. 113 sqq.

De illo Callisthenis decreto manifesto Demosthenes or. de cor. p. 237., commemoratis vanis illis promissis, quibus Aeschines, ex altera ad Philippum legatione reversus, populum deceperit, *τί οὖν συνέβη*, ait, *μετὰ ταῦτ' εὐθύς, οὐκ εἰς μακράν; τοὺς μὲν ταλαιπώρους Φωκέας ἀπολέσθαι καὶ κατασκαφῆναι τὰς πόλεις αὐτῶν, ὑμᾶς δ' ἡσυχίαν ἄγοντας καὶ τούτῳ πεισθέντας σμικρὸν ὕστερον σκευαγωγεῖν ἐκ τῶν ἀγρῶν·* atque paullo post: *λέγε μοι τὸ τοῦ Καλλισθένους ψήφισμα.* At quod tum sequitur Callisthenis decretum ab illo prorsus diversum est. Illud enim si latum eo ipso die est, quo Dercylus nuntium attulit de pacto Phalaeci, id quod probare Demosthenis verba videntur: *καὶ ὑμεῖς ταῦτ' ἀκούσαντες εἰκό-*

τως κακείνοις συνήχθεσθε καὶ αὐτοὶ ἐξεπέπληχθε, καὶ ἐψηφίζεσθε καὶ παῖδας καὶ γυν. κ. τ. λ. (π. παραπρ. p. 379.), non latum est in concione a praetoribus convocata (συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν, quod praescriptum est decreto insiticio). Congregatam enim iam Scirophorione XXVII Dercylus concionem in Piraeeo et de navalibus agentem invenit (Dem. π. παραπρ. p. 359.). Quod si minus constet, latum tamen decretum Callisthenis illud utique est die Scirophorionem XXVII proxime insequenti, non Maemacterione XXI, quem decretum insiticium praefert. Praeterea nihil in hoc decreto legis de mulieribus puerisque in urbem asportandis, nihil de Piraeeo castellisque communiendis, nihil de Heracleis non foris, sed in urbe agendis.

Quae quum ita sint, quid statuendum restat de hoc Callisthenis illoque decreto Demosthenis? Atque Demosthenis certe decretum ita illi Senatus consulto repugnat, quod latum est Ol. CVIII, 2 Munychione III de maturanda legatorum profectione, ut nec mutilatum nec quacunque ratione depravatum illud reperire in nostro queas. Nam quod hoc, ut illud, auctore latum est Demosthene, et tribu eadem Pandionide, quod praeterea in hoc decernitur, ut legati sine mora abeant eo, ὅπου ἂν ὄντα πυνθάνωνται τὸν Φίλιππον, id quod illud quoque iubebat, quanquam ipsum etiam hoc aliis verbis (v. supra), id certe nihil valet, si conferatur cum reliquis, in quibus decretum hoc omni ex parte ab illo diversum esse monstravimus. Quid igitur? Fictumne universum iudicemus decretum, quod suspicatus est Contarenus in Variis Lectionibus, ubi de fide huius psephismatis disputavit? At quisquis fuit, qui miro eiusmodi lusu ingenii delectatus sit, is num ex solo suo ingenio archontem etiam Mnesiphilum evocarit pseudeponymum et mensem Hecatombaeonem, et Pandionidem tribum, et πρώτην illam ἐκκλησίαν, et quinque legatos eorumque non nomina solum, sed cognomina etiam demotice? Miri sane is ingenii fuisset homo, in quo hoc maxime mirandum esset, quod verba decreti a se inventi ad Demosthenis enarrationem magis neglexisset accomodare. Ille enim ἔγραψα βουλεύων, ait, ἀποπλεῖν τὴν ταχίστην τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν ὄντα τὸν Φίλιππον πυνθάνωνται· decretum: ἀποδημεῖν μηδεμίαν ὑπερβολὴν ποιουμένους, ὅπου ἂν ὄντα πυνθάνωνται τὸν Φ. Mirandum

praeterea esset, quod Aeschinem non primo inter legatos loco constituisset, denique, id quod gravissimum est, quod eorum numero omnino exclusisset Philocratem Agnusium, quem diserte Aeschines collegam in praecedentibus (p. 232.) Demosthenes nominavit. Sed res eiusmodi est, ut diutius in ea morari supervacaneum videatur. Reprimunt enim eiusmodi suspicionem reliqua monumenta, orationi huic inserta, quorum omnium ea est conditio, ut, etiamsi in singulis depravata quaedam aut mutilata deprehenderis, omnia tamen certe non ex grammatici alicuius aut rhetoris ingenio fluere potuisse, sed omnino ea antiquis monumentis niti concedas necesse sit. Ad quod confirmandum vel ipsae valent discrepantiae, quibus monumenta laborant, nec minime archontes illi pseudeponymi, quorum vix ullus est, qui in fastis locum habeat. Aliter in eo, qui illa commentus esset, et miram sane Atticae antiquitatis cognitionem et mirabiliorem etiam insacitiam invenires.

Quae quum ita sint, Demosthenis decretum patet ad alias res aliaque tempora referendum, itaque iusto suo loco motum et falso illic esse insertum. Et commodissime referri cum Boeckhio (in Comment. de archontib. pseudepon. p. 22.) posse supra (cap. V.) iudicavimus ad pacem inter bellum Byzantium alteramque Philippi in Graeciam impressionem cum Philippo compositam, quam plerumque addubitatam Boekhii vestigiis insistentes restituere l. c. conati sumus; minus commode ad pacem Ol. CX. 3 post eiadem Chaeronensem conciliatam. Itaque Mnesiphilus archon, qui decreto huic praefixus est, ad primam prytaniam pertineat Ol. CX, 2 archonte epon. Lysimachide. —

Eundem Mnesiphilum alterum etiam decretum, Callisthenis, praefert. Unde ad eiusdem anni Maemacterionem referendum illud esse coniicias. Sed haec sententia multis de causis minus probatur. Primum, quod auctor decreti Callisthenes est idem qui Ol. CVIII. 2 Scirophorione XXVII decretum tulit similis argumenti; tum quod Ol. CVIII. 2 Maemacterione vigiliarum in castellis habendarum fugaeque ex agris capessendae nulla adhuc Atheniensibus instabat necessitas, quippe quod Philippus eodem quidem anno, sed mense demum Elaphebolione Graeciam ingressus sit. Sin igitur post Philippi impressionem decreta est Athenis

σκευαγωγία, referenda ea erit ad Ol. CX. 2 Elaphebolionem aut Scirophorionem, aut consecuta demum sit post cladem Chaeronensem Ol. CX. 3 Metagitnione, id quod maxime verisimile est, quod tum simili argumenti decretum latum est ab Hyperide. Neque decretum hoc referri potest ad eam σκευαγωγίαν, quae facta est Ol. CXI. 2, allato Athenas nuntio de Thebis ab Alexandro excisis. Haec enim incidit in tempus Magnorum Mysteriorum, hoc est in mensem Boedromionem. V. Arrian. exp. A. I. p. 28 Blancard.

Quae quum ita sint, ob Callisthenem praesertim, decreti auctorem, rursus ad belli Phocensis finem redeundum videtur. Neque invenies quod probabilius de decreto hoc statui possit eo, quod coniecit Boeckhius l. c. p. 9: paullo post Scirophorionem Ol. CVIII, 2 redisse ad securitatem Atheniensium animos, sed aliquot mensibus post eundem Callisthenem ob recentem aliquam formidinem denuo simile decretum proposuisse insequenti Maemacterione, omissis tamen iis, quae de Heracleis, item quae de Piraeeo et castellis muniendis dicta erant, propterea, quod haec munita erant interim, ita ut deferri supellex in munitos illos locos potuerit, εἰς Ἐλευσῖνα καὶ Φυλὴν καὶ Ἄφιδναν καὶ Ῥαμνοῦντα καὶ Σούνιον.

Itaque haec duo decreta quum manifesto loco suo mota et cum iustis confusa sint, omnia monumenta publica, quae in oratione de corona inveniuntur, iure contendit Boeckhius (l. c. p. 19.) non a Demosthene esse profecta, sed posterioribus temporibus ab homine quodam laborioso collecta, ut rerum gestarum explicationi inservirent. Atque profecto non casu factum sit, non defessa librariorum manu, quod inde a media oratione omnia acta publica in omnibus codicibus desiderantur; sed idem ille homo operam nimis arduam, quum eam ad mediam usque orationem continuasset, tum aut fato interruptus imperfectam reliquerit, aut, quod magis placeat, defessus et in celebri illo Demosthenis decreto subsistens, ex quo proelium Chaeronense concitatum est, sponte intermiserit. Quae sententia eo etiam confirmari potest, quod monumenta illa in quibusdam codicibus partim desunt, partim a recentiore manu in margine, aut in ima pagina adscripta leguntur. Cf. Bekker. ad p. 235 et 238. Unde vero ea de-

sumpta sint? Nimirum aut ex ipso Atheniensium tabulario, aut, quae ipsae ex illo fluxerunt fonte, ex monumentorum collectionibus, posteriori tempore compositis. Fuisse enim antiquitus, praeter inscriptionum collectiones, *ψηφισμάτων συναγωγὴν* aut libros *περὶ ψηφισμάτων* a Cratero Macedone compositos constat, de quibus nuper Boeckhius uberrime egit in praef. ad Corp. Inscr. §. II., ex quo Crateri opere vel ex similibus collectionibus alios petisse, qui decreta nobis Attica servarint, ipsaque haec monumenta orationi de cor. inserta fluxisse idem ibidem suspicatur. Et hac certe sola via persuasum mihi habeo explicari plurima, ne dicam omnia posse, quae in monumentis his lectorem offendant. Primum quas in duobus prioribus decretis modo deprehendimus difficultates. Alterius decreti initio rogator affertur *Καλλισθένης Ἐτεονίκου Φαληρεύς*: in eiusdem fine additur rursus: *εἶπε Καλλισθένης Φαληρεύς*. Item p. 253. initio decreti legitur: *Ἀριστόνικος Φρεάρριος εἶπεν*, in fine iterum additur: *εἶπεν Ἀριστόνικος Φρεάρριος*. Haec certe additamenta non possunt ex autographis Demosthenis profecta esse; neque videas, cuinam usui addita postea a librariis fuerint. Sed locum habere poterant in tabulario publico, ut infra monstrabimus, indeque alio traduci. In aliis contra miraris rogatorem omnino deesse, ut in psephismate de absoluto in *γραφῇ παρανόμων* Demosthene p. 261, et in decretis duobus p. 282. de induciis a Philippo rogandis. At ex his primum non rogatio est, sed relatio ad populum, ex reliquis duobus alterum *βουλῆς καὶ στρατηγῶν γνώμη*, alterum *πολεμάρχου γνώμη* conscriptum; hoc igitur ab ipso haud dubie polemarcho; in illo auctoris nomen propterea non additum fuerit, quod non rogatum sit, sed senatus praetorumque iussu et auctoritate ab ipso fortasse scriba senatus conscriptum. Verum enim vero certiora etiam recentioris manus vestigia, a qua collecta haec monumenta sint, in eis appareant, quae contra oratoris mentem omissa, aut decurtata deprehendas. Atque eiusmodi non hoc quidem esse iudico, quod p. 264 orator quattuor memorat, qui, sicut ipse a Ctesiphonte, coronati sint pro beneficiis in rem publicam sparsis: Nausiclem, Diotimum et Charidemum, denique Neoptolemum, tum recitari iubet decreta, quae in eorum honorem lata sint; quorum tamen nonnisi de Nausicle unum, alterum de Charidemo Diotimoque af-

fertur, de Neoptolemo nullum exstat. Scilicet hoc ab ipso Demosthene non recitatum contendo, quod Neoptolemus ipse inter auditores assidebat: εἶθ' οὑτοσὶ Νεοπτόλεμος, πολλῶν ἔργων ἐπιστάτης ὤν, ἐφ' οἷς ἐπέδωκε τετίμηται (p. 264.). Verisimilius omissa quaedam decreta dixerim p. 250, quo loco Demosthenes disserit de pace navigiorum raptu soluta. Etenim orator recitari primum iubet Eubuli decretum; tum τοῦτο μὲν τοίνυν τὸ ψήφισμα, ait, Εὔβουλος ἔγραψεν, οὐκ ἐγώ, τὸ δ' ἑξῆς Ἀριστοφῶν, εἶθ' Ἡγήσιππος, εἶτ' Ἀριστοφῶν πάλιν, εἶτα Φιλοκράτης, εἶτα Κηφισοφῶν — ἐγὼ δ' οὐδὲν περὶ τούτων. Deinde ὥςπερ τοίνυν ἐγὼ ταῦτα δείκνυμι τὰ ψηφίσματα, οὕτω καὶ σὺ δεῖξον. Ex quibus probabile fit plura ad eandem rem pertinentia decreta recitari iussisse Demosthenem; plura certe eadem de re lata esse docet Aristophontis decretum, id quod solum exstat l. c., reliquis, nimirum contra mentem oratoris, omissis. Ante hoc decretum quidem leguntur haec Demosthenis verba: λέγε τὸ ψήφισμα, ac si re vera unum tantummodo decretum recitandum sit. Sed in his solum λέγε genuina esse lectio videtur, τὸ ψήφισμα omittente Cod. Bekker. bonae notae, aliis inter ψήφισμα et βούλευμα fluctuantibus. — Minoris momenti est, quod p. 282 Demosthenes decem proponit legatos Thebas mittendos, in eo quod sequitur decreto nonnisi quinque enumerantur. Aut enim quinque solummodo creati sint, aut hi principes legationis fuerint. — At p. 266 Demosthenes scribam recitare universum iubet Ctesiphontis decretum (ἀνάγνωθι τὸ ψήφισμα ὅλον τὸ γραφέν μοι). In decreto leguntur haec: δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ἐπαινέσαι Δημοσθένην Δημοσθένους Παιανιέα ἀρετῆς ἕνεκα καὶ καλοκἀγαθίας, ἧς ἔχων διατελεῖ ἐν παντὶ καιρῷ εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον ἐν τῷ Θεάτρῳ Διονυσίοις τραγωδοῖς καινοῖς. At Aeschines plura legerat in Ctesiphontis decreto: Αἰσχίνης — ἀπήνεγκε π. τ. ἄρχοντα παρανόμων γραφὴν κατὰ Κτησιφῶντος, scriptum est in accusationis libello (p. 243), ὅτι ἔγραψε παράνομον ψήφισμα, ὡς ἄρα δεῖ στεφανῶσαι Δημοσθένην Δημοσθένους Παιανιέα χρυσῷ στεφάνῳ, καὶ ἀναγορεῦσαι ἐν τῷ Θεάτρῳ Διονυσίοις τοῖς μεγάλοις τραγῳδοῖς καινοῖς, ὅτι στεφανοῖ ὁ δῆμος Δημοσθένην Δημοσθένους

Παιανιέα χρυσῷ στεφάνῳ ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας, ἧς ἔχων διατελεῖ εἴς τε τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας καὶ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, καὶ ἀνδραγαθίας, καὶ διότι διατελεῖ πράττων καὶ λέγων τὰ βέλτιστα τῷ δήμῳ, καὶ πρόθυμός ἐστι ποιεῖν ὅ τι ἂν δύνηται ἀγαθόν —· *πάντα ταῦτα ψευδῆ γράψας* —. Eaque ad verba ex decreto Ctesiphontis desumpta agnoscit etiam Demosthenes in iis, quae continuo sequuntur: *τοῦ μὲν οὖν γράψαι πράττοντά με καὶ λέγοντα τὰ βέλτιστα τῷ δήμῳ διατελεῖν καὶ πρόθυμον εἶναι ποιεῖν ὅ τι ἂν δύνωμαι ἀγαθόν* (p. 244). Idem p. 253 decretum Aristonici conscriptum esse ait iisdem syllabis, *ἅςπερ οὗτοσὶ Κτησιφῶν νῦν γέγραφε*. In hoc autem legitur: *καὶ διατελεῖ εὔνους ὢν τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων, καὶ λέγει καὶ πράττει ὅ τι ἂν δύνηται ἀγαθὸν ὑπέρ τ' αὐτῶν Ἀθηναίων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων*. Denique Aeschines ipse eadem et fortasse etiam plura confirmat or. in Ctes. p. 60 m. his: *ἔστι δ' ὑπόλοιπόν μοι μέρος τῆς κατηγορίας, ἐφ' ᾧ μάλιστα σπουδάζω. τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ πρόφασις, δι' ἣν αὐτὸν ἀξιοῖ στεφανοῦσθαι. λέγει γὰρ οὕτως ἐν τῷ ψηφίσματι· καὶ τὸν κήρυκα ἀναγορεύειν ἐν τῷ θεάτρῳ πρὸς τοὺς Ἕλληνας, ὅτι στεφανοῖ αὐτὸν ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἀρετῆς ἕνεκα καὶ ἀνδραγαθίας, καὶ τὸ μέγιστον ὅτι διατελεῖ λέγων καὶ πράττων τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ*. Item vocem *ἀνδραγαθίας ἕνεκα* confirmat p. extr., reliqua p. 87 extr.: *εἰ δ' ἥξεις ἐπὶ τὸ δεύτερον μέρος τοῦ ψηφίσματος, ἐν ᾧ τετόλμηκας γράφειν, ὡς ἔστιν ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ διατελεῖ λέγων καὶ πράττων τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων*. Ibidem paucis ante: *εἰ μὲν γὰρ λέγεις, ὅθεν τὴν ἀρχὴν τοῦ ψηφίσματος ἐποιήσω, ὅτι τὰς τάφρους τὰς περὶ τὰ τείχη καλῶς ἐτάφρευσε, θαυμάζω σου*. Unde manifesto liquet altera certe parte, fortasse etiam initio decurtatum id Ctesiphontis decretum esse, quod in oratione de corona repraesentatur. Itaque universum decretum recitari iussit Demosthenes, decurtatum repraesentatur, et decurtatum ita, ut quae desunt ea non casu omissa videantur, sed de industria. Lacunae enim vestigia deprehendis nulla. Quid multa? Decretum etiam quod superest Ctesiphontis, non id est, quod Ol. CX. 3 Pyanepsione XXII senatui comprobandum tradiderat Ctesiphon his fere verbis conscriptum: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῷ*

Ἀθηναίων ἐπαινέσαι Δημοσθένη Δημοσθένους Παιανιέα ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας, ἧς ἔχων διατελεῖ εἴς τε τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας καὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, καὶ ἀνδραγαθίας, καὶ διότι διατελεῖ πράττων καὶ λέγων τὰ βέλτιστα τῷ δήμῳ, καὶ πρόθυμός ἐστι ποιεῖν ὅ τι ἂν δύνηται ἀγαθόν, in quae decreti verba oratione sua acerrime invectus est Aeschines. Ol. CXII. 3, quum causa in iudicio acta esset, absolutus quidem est Ctesiphon, Aeschines ad multam drachmarum mille, quae legibus statuta erat, solvendam damnatus, confirmatumque eo est senatus *προβούλευμα* de coronando Demosthene, sed non item omnia ea etiam decreti verba, quibus collaudaturus praeco Demosthenem erat. Audita Aeschinis oratione effusius a Ctesiphonte scriptum praeconium videri poterat. Offendebat, quod erga omnes etiam Graecos propensum constanter animum habere Demosthenes diceretur, quippe quod Ol. CXII. 3, quum Graecorum tumultus in Peloponneso ortus ab Antipatro vix oppressus erat, suspicionem apud Macedoniae reges movere contra Athenienses potuerit, si publice in theatro recitaretur edereturque; offendebat, quod *ἀνδραγαθίας ἕνεκα* collaudandum Demosthenem esse Ctesiphon scripserat, si vere criminari Demosthenem Aeschines visus sit, quod abiecto turpiter clypeo ex pugna Chaeronensi fugam cepisset, item postea, quum Ol. CXI, 2 Thebis dirutis legationem ad Alexandrum obiens medio ex Cithaerone metu correptus effugisset (Aesch. in Ctes. p. 76. med.); offendebant denique verba *καὶ διότι διατελεῖ πράττων καὶ λέγων ὅ τι ἂν δύνηται ἀγαθόν*, quod re vera, transgresso in Asiam Alexandro, neque florente adhuc Dario, neque quum nuperrime a Lacedaemoniis bellum pro libertate motum esset, ad recuperandam libertatem utile quidquam civitati suasisset (Aesch. in Ctes. p. 77.), ad quae Aeschinis opprobria nihil quidquam respondere Demosthenem sane mirandum est. Haec igitur omnia quum non mera calumnia ab Aeschine exprobrari viderentur, placuit aut iudicibus aut ex iudicum sententia populo, ut laudes Demosthenis lenioribus verbis pronuntiarentur, quam quae scripta olim a Ctesiphonte sunt et comprobata a senatu. Itaque exstincta in primis sint verba *εἴς τε τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας*, pro *ἀνδραγαθίας* lenior vox reposita *καλοκἀγαθίας*, omissis etiam sequentibus: *καὶ διότι διατελεῖ πράττων καὶ λέγων τὰ ἄριστα κ. τ. λ.*, et decretum omnino ita

compositum sit, eo ut rerum circa cladem Chaeronensem gestarum memoria quam posset maxime aboleretur, et quae inde moveri posset amoveretur suspicio. Atque mutatum ita *προβούλευμα* a populo confirmatum coniicio. Quo facto quum a scriba in tabulario repositum esset, inde in orationem de corona traductum rursus pateat non a Demosthene ipso, sed tempore posteriori.

Atque hanc solam de monumentis his opinionem, quam confirmare modo conati sumus, persequentibus deprehendi etiam posse nobis videatur, quid sibi velint archontes illi pseudeponymi, in quibus explicandis tot virorum doctorum cura sagacitasque haerebat. Quos quidem archontes ad annos designandos, itaque eponymorum loco afferri, eo quam maxime liquet, quod archonti ubique additus est mensis et dies, atque, ne pluribus verbis de re per se clarissima opus sit, maxime perspicue hoc pseudeponymus Mnesihides docet (p. 279), ex quo et addito Anthesterione XVI definiuntur *Χρόνοι*, quos recitari Demosthenes iubet, ut doceat, quo tempore, hoc est quo anno menseque Aeschines Pylagoras creatus bellum adversus Amphissenses Amphictyonicum concitarit. Vid. cap. V. Quod quum eponymo Theophrasto factum sit, eo ipso statim refutatur Dodwelli opinio, qui archontes hos senatus esse epistatas censuit, item Palmerii Corsinique, qui eos thesmosthetas, reges aut polemarchos esse opinati sunt, aetis praescriptos, non ut ex iis anni designarentur, sed quod senatui et comitiis praesedissent iis, in quibus actae illae res fuerint. Subsistendum igitur in una sit Schoemanni opinione, qui ad designandos quidem annos decretis eos praescriptos coniecit, non tamen eponymos, sed eponymorum tanquam suffectos, qui eponymi magistratu fungerentur, dum ille ab administrando munere seu morbo sive alia causa impeditus esset (de Comit. p. 137 sqq.) Quibus tamen haec etiam sententia laboraret difficultatibus, ipse satis sentiebat Schoemannus ingenueque professus est. Incredibile enim primum est ex suffectis istis archontibus annos omnino designari potuisse, aut mira sane inconstantia et perturbatione laborasse fastos Atticos credendum sit. Atque Ol. CVI. 2 aut CVII. 2 quidem praeter Callistratum aut Thessalum, qui fastis consignati sunt, unum reperimus pseudeponymum Boedromione mense Demonicum (p. 265), item Ol. CXVIII, 3,

praeter fastorum eponymum Archiam, Mnesiphilum mense Maemacterione (p. 238); Ol. CX, 3, praeter fastorum Chaerondam, pseudeponymum Euthyclem (p. 266). At brevi eo trium annorum spatio, quod inter Ol. CIX. 4 et CX, 3 intercessit, undecim archontes eponymi pseudeponymique numerantur:

Ol. CIX. 4, quem fasti exhibent, Nicomachus; Boedromione Neocles (p. 249 et 250), Gamelione Chaerondas (p. 253).

Ol. CX, 1 fastorum Theophrastus,
Boedromione Polycles (p. 261),
Anthesterione Mnesithides (p. 279).
Quartus afferri potest Nicias (p. 273), licet minus certo, isque Hecatombaeone iam tertio.

Ol. CX. 2 ex fastis Lysimachides; ex decretis Mnesiphilus (p. 235), isque rursus ineunte anno, quippe ultimo Hecatombaeone.
Elaphebolione et Munychione Heropythus (p. 282).
Scirophorione Nausicles (p. 289).

Toties igitur si per annum mutaretur eponymus, vix Athenienses dixeris percipere tempus accurate potuisse, archontem temporis designandi causa ex decretis recitatum audientes. Ex nostris autem illis Mnesithides certe ibi affertur, ubi recitare Demosthenes scribam iubet, quando Aeschines creatus pylagoras sit, id quod archonte Theophrasto factum esse ipse testatur Aeschines in Ctes. p. 69 extr. Praeterea Demostheneae aetatis archontes eponymi optime explorati sunt. Afferunt eos ex annorum ordine scriptores, Diodorus maxime, Philochorus, Dionysius Hal. (in epist. ad Amm. et in iudic. de Din.), confirmant ex parte inscriptiones, confirmat ipse denique Aeschines: Theophrastum l. c., Themistoclem (Ol. CVIII, 2) p. 62 med., Chaerondam (Ol. CX, 3) p. 57 extr. At quotquot actis orationi de cor. insertis archontes inveniuntur, uno Chaeronda excepto in Aeschinis libello, quo Ctesiphontem accusavit, omnes ab illis omnino abhorrent, quod certe casu fieri nequaquam potuit; ideoque Schoemanni opinioni maxime obstat. Sed haec a nobis non sunt longius per-

sequenda. Accuratissime enim et hanc et aliorum virorum doctorum opiniones examinavit Boeckhius l. c. p. 17 sq.

Quae quum ita sint, quum archontes isti neque eponymi sint, nec eponymorum suffecti, nihilominus ad annos manifesto designandos decretis praescripti sint, denique quum ne vitii quidem nominibus allati ulla possint vestigia deprehendi, errori eos deberi patet, non pristinis Atheniensium institutis. Atque ipsa certe etiam forma, qua praescripti decretis isti pseudeponymi sunt, ab ea plerumque abhorret, quam sollemnem in actis senatus populique fuisse, inscriptionum, quae aut ad ipsam aetatem Demosthenean pertinent, aut ei proximae sunt, constantia docet. In quibus primum sollemne est, ut vox ἄρχοντος sequatur nomen, v. c. hac formula: ἐπὶ Καλλιστράτου ἄρχοντος. In nostris vox ἄρχοντος nomen proprium plerumque praecedit, ut ἐπὶ ἄρχοντος Μνησιφίλου, ἐπὶ ἄρχοντος Νεοκλέους. Haec forma in recentissima demum aetate Romana invaluit, ut docent inscriptiones, quas Boeckhius edidit in Corp. Inscr Gr. Vol. I. P. II. Cl. IV. — Porro in Aristonici decreto p. 253. archontis nomini additum est patris nomen: ἐπὶ Χαιρώνδου Ἡγέμονος ἄρχοντος, quod in inscriptionibus nusquam reperies, ne ad discernendos quidem archontes cognomines, quippe qui nonnisi ex decessore discernantur, ut ἐπὶ Διονυσίου τοῦ μετὰ Παράμονον ἄρχοντος in notissima musei Naniani inscriptione ap. Boeckh. Corp. Insc. nr. 125. Insolitus prorsus est in archonte epon. designando casus nominativus: ἄρχων Δημόνικος p. 265, et quod additur demoticum nomen Φλυεύς, quod, sicuti patris nomen, in inscriptionibus non additur, nisi aut scribae secundum prytaniam, ut docent decreta, quae in inscriptionibus servantur ap. Boeckh. Corp. Inscr. Gr. Vol. I. Inscr. Att. Cl. I. nr. 81, 90, 111, 112, 113, 122 et decreto de Antiphonte ap. Pseudoplut. vit. X orr. p. 225 ed. H., aut proedro, qui populum in suffragium mittebat, ut docent decreta modo laudata, tum nr. 96 et 105 ap. Boeckh. l. c. atque decretum in honorem Zenonis conditum ap. Diogen. Laert. VII. 10. Contra iidem illi magistratus, scribam secundum prytaniam dico et τὸν ἐπιψηφίζοντα, quorum hic ubique II. cc. adfertur, ille duobus modo deest (nr. 96 et 105 ap. Boeckh. l. c.), in nostris omnino desiderantur. Nimirum itaque is ipse homo, qui in traducendis in orationem

de cor. actis publicis deiudavit, poterat alterutrum ex his magistratibus, qui decretis praefigi solebant, in nostris desunt, scribam secundum prytaniam, sive epistatam senatus, pro eponymo habere, eponymique loco decretis praescribere.

Atque ne longum faciam, Boeckhius, quum confusionem talem non aliter fieri potuisse censeat, nisi si haec acta ex serie quadam decretorum petita sint, quae disposita secundum certum quendam magistratum essent, per epistatam autem disponi decreta non potuisse, quod diurnum epistatae munus fuerit, Boeckhius pseudeponymos illos ex scribis secundum prytaniam natos coniicit, qui a senatu sorte creati ex ipsis senatoribus, non tamen ex prytanibus, scripta et decreta senatus populique servarint, eisque nomen suum praescripserint, tantae illos auctoritatis, ut ex primae prytaniae scriba, etiam omisso archonte, designaretur annus, vel ille certe archonti anni designandi causa adderetur. Quam coniecturam ita exornavit Boeckhius et confirmavit, ut in ea asquiescendum nobis esse omnino confiteamur. Scilicet, liceat enim brevissime Boeckhii opinionem proponere, disposita Athenis in tabulario erant acta senatus et populi secundum annos et anni cuiusque prytanias. Ad annos designandos probabile est inscripta loculis fuisse archontum eponymorum nomina schedulis vel tabellis exterius affixis, item unius cuiusque anni acta verisimile est disposita per codices fuisse sive volumina, quibus continerentur acta in una prytania et sub uno scriba secundum prytaniam perlata. Hisque codicibus inscriptum ipsius scribae nomen fuerit probabili formula: ἐπὶ (*Μνησιφίλου*) (scil. *γραμματέως κατὰ πρυτάνειαν*), qua anni etiam ex eponymis designabantur. Quod si ita fuit, non opus erat, ut in decretorum singulorum exemplis codici inscriptis adderetur archontis nomen aut scribae. Non enim verisimile est qua forma decreta lapidibus incisa reperiuntur, eadem in tabulario etiam reposita; sed quod commune omnibus erat, id consentaneum est actis in unum collectis esse inscriptum. Iam, quod supra monuimus, fuerunt antiquitus libri, quibus continebantur acta publica, partim ex inscriptionibus collecta, partim ex ipso Attico tabulario; ex tali libro petita nostra haec acta esse omnino probabile ex iis est, quae in superioribus exploravimus. Illum librum qui confecit, is ordinem et rationem

tabularii secutus est. Sed qua aetate liber collectus est, loculorum schedulae et tabellae cum archontis eponymi nomine olim affixae interierint, ut quo archonte decretum unumquodque latum esset, iam non perspici posset, quippe qui in decreto notatus non fuerit. Itaque, quum omissus esset archon, potuit scriba actis cuiusque prytaniae praefixus eponymus videri, si non illi, qui librum collegit, certe recentiori docto, qui illo uteretur libro, ex actis tabularii confecto, ut is in decretorum singulorum praescriptis, quae ille ex rubricis singularum collectionis partium supplere utique debebat, integrandis insereret pro archonte scribam, eique adderet vocem ἄρχοντος. Haec summa est Boeckhianae opinionis, quae ut per se unice probabilis videatur, ita omni ex parte defendi confirmarique potest. Addo, quod Boeckhius de tabularii schedularum, quibus inscriptum nomen eponymi fuerit, coniecit interitu, id ipsum etiam in eo libro accidere potuisse, qui ex tabulario Athenarum collectus sit. Nam Craterum, vel quisquis alius eiusmodi collectionum fuit auctor, omnino probabile est eam in concinnando opere rationem esse secutum, ut quae cuique decretorum parte communia essent, ea in singulis decretorum exemplis omitteret, et collectionem illam per archontes, schedulis affixos, quae divelli facile poterant, per scribas et prytanias disponeret. Et quod coniecturae huic opponere possis, Heropythum (p. 282) Ol. CX, 2 in duabus continuis prytaniis inveniri, de hoc, si minus verisimile videatur prorogatum munus esse in sequentem prytaniam, id certe probabile statuendum videtur, id quod etiam proposuit Boeckhius (l. c. p. 26), verba ἐπὶ Ἡροπύθου ἄρχοντος ex altero decreto in alterum esse illata, quum alterum alteri sine intervallo additum sit. Ita enim etiam verba ἐαρινῆς Πυλαίας ex decreto Amphictyonico I. illata per errorem in alterum decretum sunt, quod prius continuo excipit, pro vera lectione ὀπωρινῆς. Et idem etiam accidisse dixeris in archonte Mnesiphilo, qui etiam duobus decretis praescriptus est (p. 235 et 238), licet is nec ad geminatas prytanias, nec ad unum annum pertineat. Poterat enim, cui actorum orationi de cor. insertorum debetur collectio, illud Demosthenis et hoc Callisthenis decretum cum eis confundens, quae lata sunt Ol. CVIII. 2 Munychione III et Scirophorione XXVII, utrumque ad unum annum re-

ferre, quippe quod alterum quarto mense post alterum latum perceperit, non quidem ex orr. de male gesta legat., quas ne legisse quidem eum statuendum est, sed quod Demosthenes tres menses commoratos legatos in Macedonia dicit (p. 235), et brevi post eorum ex Macedonia reditum latum Callisthenis decretum contendit (237). Quod si non ab illo factum est, poterat ab aliis fieri. Denique opinioni suae nihil obstare Boeckhius contendit (l. c. p. 27), quod Aeschinis libello, quo Ctesiphontem accusavit, verus est eponymus Chaerondas praefixus. Non enim illum in actis senatus et populi scriptum fuisse, ex quibus fluxerunt pseudeponymi, quippe mere iudicialem, sed aliunde petitum esse et orationi insertum. Et petitum eum dicendum sit ex ipsis actis iudicialibus, seu rursus ex aliqua eorum collectione. Inde petita etiam probabiliter dixeris testimonia duo de Aeschine ad agendam causam Deliacam indigno iudicato (p. 272) deque Aeschinis clandestina cum Anaxino, Philippi exploratore, familiaritate (p. 273).——

Itaque haec quoque monumenta licet iudicialis generis sint, ex eodem fonte petita sint, unde acta senatus et populi. Et res certe ita iam explorata est, ut si coniectura postremo a nobis proposita falsa sit, aliud nihil statuendum restet, quam duo haec testimonia ab ipso Demosthene esse orationi inserta. Quae opinio quanquam statim propterea addubitanda videatur, quod haec sola monumenta ab ipso oratore profecta esse, reliqua alii auctori deberi vix sit credibile, tamen non continuo reicienda est, praesertim quum Nicias ex eponymo Nicomacho natus esse, et adscripta temporis nota ea videri possit, quae addita tum sit, quum Demosthenes tradenda sibi ex actis senatus monumenta illa exposcit, eis ut in causa Ctesiphontis uteretur. Considerandum enim adhuc unum monumentum restat, de quo id ipsum quaeri possit, anne hoc ab ipso sit oratore profectum. Or. de cor. p. 267. legitur lex de coronis in theatro renuntiandis: *ὅσους στεφανοῦσί τινες τῶν δήμων, τὰς ἀναγορεύσεις τῶν στεφάνων ποιεῖσθαι ἐν αὐτοῖς ἑκάστοις τοῖς ἰδίοις δήμοις, ἐὰν μή τινας ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἢ ἡ βουλὴ στεφανοῖ· τούτους δ' ἐξεῖναι ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις ἀναγορεύεσθαι.* Hanc legem nonnisi partem totius legis Dionysiacae esse Aeschines contendit or. in Ctes. p. 58 extr. (*χρήσονται τοῦ νόμου μέρει τινί, κλέπτοντες τὴν ἀκρόασιν ὑμῶν*), et ex-

trema eius verba ad ἀλλοτρίους στεφάνους, ad coronas ab exteris solum civitatibus donatas pertinere interpretatur ibid. p. 58 sq. Legem etiam ipsam Dionysiacam affert p. 60 m, quam hoc loco non servatam nobis esse valde dolendum est. Nihilominus tota lex qualis fuerit cognosci ex iis potest, quae de argumento eius copiose Aeschines disserit. Atque primum: διαῤῥήδην ἀπαγορεύει (ὁ νομοθέτης), ait, μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ, μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, μήθ' ὑπ' ἄλλου φησὶ μηδενός, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα (p. 59 extr.); postrema haec verba ad τοὺς ξενικοὺς στεφάνους referenda esse contendit, tum p. 69 m. καὶ διὰ τοῦτο προσέθηκιν ὁ νομοθέτης, ait, μὴ κηρύττεσθαι τὸν ἀλλότριον στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ, ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος, ἵν' ἡ πόλις ἡ βουλομένη τινὰ τῶν ἡμετέρων στεφανοῦν πρέσβεις πέμψασα δεηθῇ τοῦ δήμου. Denique, postquam ipsam legem recitari iusserat: ἐπειδὰν τοίνυν ἐξαπατῶντες ὑμᾶς λέγωσιν· ὡς προσγέγραπται ἐν τῷ νόμῳ ἐξεῖναι στεφανοῦν, ἐὰν ψηφίσηται ὁ δῆμος, ἀπομνημονεύετε αὐτοῖς ὑποβάλλειν, εἰ δέ σέ τις ἄλλη πόλις στεφανοῖ. Ex his haud ambigue totius legis hanc conditionem fuisse coniicias: primam eius partem servos in theatro manu mitti, alteram cives a tribubus, tertiam a demis coronari vetuisse, eamque iisdem fortasse verbis, quae in or. de cor. servantur: ὅσους στεφανοῦσί τινες τῶν δήμων, τὰς ἀναγορεύσεις τῶν στεφάνων ποιεῖσθαι ἐν αὐτοῖς ἑκάστους τοῖς ἰδίοις δήμοις· postremo haec scripta probabiliter dicas: μήθ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς ἐν τῷ θεάτρῳ ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα, ἐὰν μή τινας ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται· τούτους δ' ἐξεῖναι ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις ἀναγορεύεσθαι. Iam vero in ea lege, quae in or. de cor. invenitur, omissa sunt media illa: μήθ' ὑπ' ἄλλου μηδενός κ. τ. λ. Unde legem hanc non solum partem esse pateat totius legis Dionysiacae, sed eam etiam ex arbitrio a Demosthene decurtatam, ideoque non a recentiori quodam viro docto, sed ab oratore ipso orationi insertam. Veruntamen decurtatam ex arbitrio legem iudicibus proposuisse Demosthenem difficilius crediderim. Quam ob rem aliam rei rationem fuisse suspicor. Non totam legem Dionysiacam interpretatur Aeschines, sed eius solummodo initium, in quo summam legis conscriptam probabile est his fere verbis: μήτ' οἰκέτην ἀπελευθε-

ρουν ἐν τῷ θεάτρῳ, μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, μήθ' ὑπ' ἄλλου μηδενός, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα, ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος. Hoc initium, quod summam legis continebat, secuta verisimile est singula legis capita de servis manu mittendis, de tribulibus coronandis, tum illud de demo accensis, quod in or. de cor. legitur, cui sane consentaneum est addita ab accurato legis latore esse extrema illa: ἐὰν μή τινας ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἢ ἡ βουλὴ στεφανοῖ, ne quis forte id quod ad δήμους pertineat prava interpretatione ad τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων extenderet. Sed singula haec capita omissa ab Aeschine sunt, quippe quod malevolae eius legis interpretationi nequaquam faverent, ut ei verissime Demosthenes obiiciat: τί συκοφαντεῖς — νόμους τοὺς μὲν μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι τοῖς γ' ὀμωμοκόσι κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι (de cor. p. 268). Quae quum ita sint, nihil obesse videtur, quominus haec etiam lex a recentiore viro docto orationi inserta statuatur. Quin eius rursus vestigium deprehendas in verbis, ἐὰν μή τινας ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθ. ἢ ἡ βουλὴ στεφανοῖ. Nam in his Demosthenes legebat ψηφίσηται: ἀκούεις, Αἰσχίνη, τοῦ νόμου λέγοντος σαφῶς, πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται· p. 267 extr. idem legebat Aeschines. Vide or. in Ctes. p. 58 extr. p. 60 med. bis. Hoc igitur utique scriptum fuerit in legis autographo, quo usi oratores sunt. Itaque pro ψηφίσηται repositam vocem στεφανοῖ invenisse virum illum statuendum est in eo legis exemplari, ex quo eam descripserit.

Quod igitur supra clarissimis argumentis demonstrasse nobis videmur, decreta illa senatus populique, quibus adnumerandae nimirum etiam sunt Philippi epistolae et dogmata Amphictyonum, quippe quae etiam in tabulario publico reposita fuerint, a viro docto quodam, sed male docto orationi de corona esse inserta, idem ut de reliquis quoque monumentis, quae praeterea inveniuntur, statuamus, omnino consentaneum est. Quam ob rem, si duae antiquitus exstabant Demosthenis editiones, ἡ ἀρχαία καὶ ἡ δημώδης, quarum meminit Ulpianus et de quibus Taylorus copiose disputavit ad Dem. or. de cor. p. 229. v. 12. et in praefat. ad cor. Mid., illam certe coniiciendum est monumentis his non fuisse instructam. Et sane in plurimis omnium oratorum,

quae nobis servatae sunt, orationibus monumenta desiderantur. Exstant nonnulla in Andocidis de mysteriis, in Aeschinis c. Timarch., plurima in Demosthenis forensibus orationibus, quorum omnium perpauca sunt ex genere decretorum senatus et populi in Andoc. orat. et Demosthenis c. Timocr., denique unum de Plataeensibus civitate donandis in or. c. Neaer. Quae quum nec archontem nec mensem praescriptum praeferant, ab ipsis profecta oratoribus videri facile possint. Nam eiusmodi monumenta brevitatis causa sine accurata temporis notatione ab oratoribus recitata esse, et plerumque ne universa quidem, sed quantum eorum ad demonstrandam sententiam sufficeret, omnino probbaile est. Vid. supra p. 208. Aesch. *π. παραπρ.* p. 57 med. Cf. supra p. 91. Id quod etiam ad nostram de monumentis orationi de corona insertis sententiam confirmandam valeat. In ipsis quoque lapidibus tempora haud raro a decretis separata inveniuntur. Neque ego omnia monumenta, quae in reliquis orationibus servantur, posterioribus demum temporibus, ut illa in oratione de cor., addita esse contenderim. Certe, quae in praestantissimis Demosthenis, seu quae in Demostheneis numerantur, orationibus forensibus exstant monumenta, maximam partem iudicialia, *μαρτυρίαι*, leges seu legum partes, *συνθῆκαι*, *συγγραφαί*, *ἐγκλήματα*, *προκλήσεις*, *μαντεῖαι*, alia similia, ea vix dixeris posterioribus demum temporibus ex legum seu actorum iudicialium collectionibus tanto tamque integro numero peti et tam apte orationibus potuisse inseri. Ex parte certe ab ipsis inseri orationibus poterant. Ita additam Dinarchi in Proxenum orationi *γραφὴν* legebat iam Dionysius Hal.: *ἀποδείκνυται δ' (ὁ βίος τἀνδρὸς) ἐξ ὧν αὐτὸς περὶ ἑαυτοῦ συνέγραψεν ἐν τῷ λόγῳ τῷ κατὰ Προξένου, ὃς εἴρηται μὲν μετὰ τὴν φυγήν, προσκειμένην δ' ἔχει τὴν γραφὴν ταύτην· „Δείναρχος Σωστράτου Κορίνθιος Προξένῳ, ᾧ σύνειμι, βλάβης ταλάντων δύο κ. τ. λ.*: de Dinarcho iudic. c. 3. Nostra autem illa, ut certum est non ea in prima orationis de cor. editione exstitisse, ita consentaneum est sero demum collecta et orationi addita esse. Errores enim, quos in actis his colligendis commissos monstravimus, tum demum irrepere et increbescere poterant, quum remotioris antiquitatis ignorantia longius serpere coepit. Dionysii certe Hal. aetate invalescere illa nondum poterant, licet, quod ad illum aucto-

rem attinet, hoc solummodo asseverari possit, quam nos ipsi in posteriori orationis parte p. 298. desideramus Philippi epistolam, illum etiam non legisse vĭderi. Nam in Epist. ad Amm. c. 11. postquam orationis ipsius verba attulerat haec: ὡς δ' ἀφικόμεθα ἐς τὰς Θήβας, καταλαμβάνομεν Φίλιππον καὶ Θετταλῶν καὶ τῶν ἄλλων συμμάχων παρόντας πρέσβεις, καὶ τοὺς μὲν ἡμετέρους φίλους ἐν φόβῳ, τοὺς δ' ἐκείνου θρασεῖς, (p. 298) ita pergit: ἔπειτ' ἐπιστολήν τινα κελεύσας ἀναγνοῦναι ταῦτ' ἐπιτίθησιν: „ἐπειδὴ τοίνυν κ. τ. λ. Vix ita ambigue Dionysius memorasset epistolam, si eam legisset. Contra Pollucem, Harpocrationem, Ulpianum scholiastam, ne recentiores lexicorum auctores memorem, legisse iam monumenta illa in ipsa Demosthenis oratione singulae quas ex eis laudant voces dictionesque probant. Vid. Schaefer. Apparat. ad p. 235, 11; p. 238, 15 et 28; p. 243, 11 et 27; 244, 3; 249, 11; 253, 13. Itaque ante horum scriptorum aetatem verisimile est virum quendam doctum monumenta illa collegisse, quibus fortasse novam illam Demosthenis editionem, quam δημώδη Ulpianus vocat, instrueret; qui tamen in insigni illo decreto Demosthenis de Thebanis ad belli societatem contra Philippum invitandis destiterit ab opera anxia et nimis laboriosa, satis tum sibi visus adiumenti ad illustrandam orationem attulisse. Nam ultra illud decretum operam continuatam non esse codicum constantia docet, in quibus omnibus inde a p. 289 monumenta desiderantur, quum usque ad hanc servata in omnibus sint, uno excepto Augustano I., in quo solo nimirum defessa librarii manu iam a. p. 250 omissa inveniuntur.

Ex qua opinione quum ea, quae maxime discrepantia et insolita in monumentis illis deprehendimus, explicari aptissime posse satis iam excussum sit et demonstratum, illis denique accedant pauca quaedam alia, in quibus praeterea offendere meminimus. In decreto Callisthenis p. 238 praescriptum nomen rogatoris est, idem adscriptum etiam: εἶπε Καλλισθένης Φαληρεύς. Postrema ipsius rogatoris esse verba censeo, qui conscripta lege: μηδένα Ἀθηναίων μηδεμίᾳ παρευρέσει κ. τ. λ., addidit nomen suum, ut adiectum legitur in libello p. 250: πρυτανείᾳ φυλῆς Ἱπποθωντίδος, Ἀριστοφῶν Κολλυττεὺς πρόεδρος εἶπεν. Sed decreto in tabulario reponendo praescripsit scriba: συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρα-

τηγῶν καὶ πρυτάνεων, βουλῆς γνώμῃ, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος, Καλλισθένης Ἐτεονίκου Φαληρεὺς εἶπε. Eadem ratio est decreti de coronando Demosthene ab Aristonico lati p. 258. In eodem decreto memorabile est, quod Chaerondas pseudeponymus *πατρόθεν* vocatur: *ἐπὶ Χαιρώνδου Ἡγήμονος ἄρχοντος*, id quod in nullo alio decretorum pseudeponymo reperitur. Adiectum hic scribae, quem pro archonte vir ille doctus habebat, patris esse nomen puto, ut discernatur Chaerondas iste ab eponymo illo, quem praefert Aeschinis *γραφή*. Ita fortasse etiam Demonico pseudeponymo p. 265 uni inter omnes additum est nomen demoticum *Φλυεύς*, quod in sequenti testimonio (p. 272) affertur *Δημόνικος Μαραθώνιος*. Difficilius est, quod Eubuli decreto p. 249 praescriptum legitur *ἐπὶ ἄρχοντος Νεοκλέους, μηνὸς Βοηδρομιῶνος*, non addito die, qui in reliquis omnibus monumentis additus est. Causa nimirum in fonte solummodo quaeri potest, ex quo decreta petiit vir ille doctus, quem in eo aut non praescriptum decreto mensem diemque, id quod casu fieri poterat, aut dici certe notationem casu deletam invenisse statuendum sit. Sed in eo ipso religiosae monumentorum descriptionis vestigium certissime deprehendas, ut inde confirmetur Boeckhii sententia, qui decretorum praescripta, quae sane plurimis laborant difficultatibus, omnino antiquis monumentis niti, sed ex rubricis singularum collectionis partium suppleta esse iudicat, in quibus concinnandis liberius auctori versari licuerit (l. c. p. 26).

Ferner sind in unserm Verlage nachstehende überall rühmlichst bekannte und sehr zu empfehlende Schulbücher erschienen.

Rost, Dr. V. Chr. Fr., Griechisch-deutsches Schulwörterbuch mit durchgängiger Bezeichnung der Quantität zweifelhafter Silben. 3te durchaus vermehrte und veränderte Auflage. 2 Thle. gr. 8. 3 Thl. 12 gr.

Dessen Elementarwörterbuch der griechischen Sprache, hauptsächlich zum Behuf des Auswendiglernens und zur Beförderung eines leicht fasslichen Ueberblicks der griechischen Wortfamilien in etymologischer Folge. gr. 8. 1 Thl. 8 gr.

Wüstemann, Dr. E. S., deutsch-lateinisches Handwörterbuch für Schulen. 2 Bde. gr. 8. 3 Thl.

Gräfenhan, Cr. A., Vorübungen zum Uebersetzen aus dem Deutschen in's Hebräische mit Hinweisungen auf die Grammatiken von Gesenius und Ehwald. gr. 8. 16 gr.

Hennings'sche Buchhandlung in Gotha.

Von der Bibliotheca Graeca etc. sind bis jetzt nachstehende Bände erschienen und durch alle Buchhandlungen zu den beigesetzten Preisen zu beziehen.

Homeri Iliadis Vol. I. ed. Spitzner. Sect. I. continens libr. I — VI. 20 gr. — Sect. II. continens libr. VII — XII. 1 Thl. 1 gr.

Hesiodi Opera. ed. Goettling. 20 gr.

Pindari Carmina. ed. Dissen. II Vol. 4 Thl. 6 gr.

Aeschyli Tragoediae. ed. Klausen. Vol. I. Sect. I. Agamemnon. 1 Thl. 20 gr.

Sophoclis Tragoediae. ed. Wunder. Vol. I. 2 Thl. 2 gr. (Sect. I. Philoctet. 18 gr. — Sect. II. Oedip. Rex. 12 gr. — Sect. III. Oedip. Colon. 20 gr.)

Euripidis Tragoediae. ed. Pflugk. Vol. I. 1 Thl. 16 gr. (Sect. I. Medea. 10 gr. — Sect. II. Hecuba. 10 gr. — Sect. III. Andromache. 12 gr. — Sect. IV. Heraclidae. 12 gr.). — Vol. II. Sect. I. Helena. 12 gr.

Theocriti Idyllia ed. Dr. E. Fr. Wüstemann. 1 Thl. 18 gr.

Delectum Epigrammatum Graecorum concinnavit Frid. Iacobs. 2 Thl.

Anacreontis Carmina ed. Möbius. 12 gr.

Xenophontis Cyropaedia. ed. Bornemann. 2 Thl. 8 gr.

Platonis Opera. ed. Stallbaum. Vol. I. 2 Thl. 6 gr. (Sect. I. Apolog. Socrat. et Crito una cum Disputatione de Platonis vita, ingenio et scriptis. edit. altera. 18 gr. — Sect. II. Phaedr. 18 gr. — Sect. III. Symposium et Indices. 18 gr.)

Eiusdem Operis Vol. II. 1 Thl. 14 gr. (Sect. I. Gorgias. 20 gr. — Sect. II. Protagoras. 18 gr.)

Eiusdem Operis Vol. III. Politia. 3 Thl. 6 gr.

Eiusdem Operis Vol. IV. 2 Thl. 2 gr. (Sect. I. Phaedrus. 20 gr. — Sect. II. Menexenus, Lysis, Hippias uterque, Io. 1 Thl. 6 gr.)

Isocratis Orationes Selectae. ed. Bremi. 20 gr.

Demosthenis Orationes Selectae. ed. Bremi. Vol. I. 1 Thl. 4 gr. Vol. II. 20 gr.

Lysiae et Aeschinis Orationes Selectae. ed. Bremi. 2 Thl.

YB 40680

539944

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY